



PARS SECUNDA.

INVESTIGATIO SENSUS (HEURISTICA).

SECTIO PRIMA.

Heuristica rationalis.

§ 18.

Norma interpretationis rationalis.

Heuristica sensum investigat.

Heuristica biblica rationalis S. Scripturam ut *librum* spectat, et secundum universales hermeneuticae regulas sensum ejus scrutatur; — natura Scripturae supernaturali (inspiratione et authentica interpretatione) interim praetermissa. Notandum tamen est, hanc Scripturae tractandae rationem nisi in theoria ad pensum dividendum et per partes absolvendum licitam non esse; in praxi enim S. Scripturam tamquam communem librum tractare esset naturam ejus propriam negligere et valde irrationaliter agere.

Investigatio sensus rationalis examinare debet *consuetudinem sermonis* seu *linguam, contextum et auctorem ejusque conditionem* internam atque externam; itaque sensus investigatur via *philologica, logica ac rhetorica item psychologica atque historica*. Lingua contextusque internam orationis naturam, conditio loquentis externam sermonis relationem efficiunt. Triplex haec via indicat divisionem heuristicae rationalis in tria capita, quorum

1. primum agit de *consuetudine sermonis* seu de *investigatione sensus philologica*,
2. secundum de *contextu*, id est *investigatione logica ac rhetorica*,
3. tertium de *conditione loquentis interna et externa* scilicet de *investigatione sensus psychologica atque historica*,

CAPUT PRIMUM.

De consuetudine sermonis.

(Investigatio sensus philologica.)

§. 19.

Notio et divisio consuetudinis sermonis.

1. — Primum medium sensus inveniendi est consuetudo sermonis seu loquendi. Est autem haec ipsa lingua in mente et ore hominum vivens, seu penitus: *consuetudo universalis et constans, quasi conventione hominum tacita (vel virtuali) inducta, easdem cogitationes et relationes iisdem vocibus et iisdem vocum formulis dispositionibusque exprimendi*. Sicut lingua ipsa, ita etiam consuetudo loquendi complectitur lexicon et grammaticam cum syntaxi, quae in usu sermonis habitualiter sciuntur atque exercentur, et ex eo a grammaticis abstrahuntur ac colliguntur.

Lingua objective accepta est summa vocum et legum, quibus cogitatio exprimitur. Lingua subjective spectata est vel consuetudo mentis et oris multorum, scilicet consuetudo sermonis, vel actus loquendi, scilicet ipse sermo. Ideo lingua (objective accepta) sine consuetudine sive usu loquendi exsistere potest, ut e. g. linguae artificiosae (*volapük*); et ipse usus loquendi sine actu sermonis est possibilis, e. g. in homine tacente.

Consuetudo loquendi tum perfectioni, tum depravationi subjacet. Utraque est aut formalis (grammaticalis) aut materialis (lexicalis). Perfectio grammaticalis secundum leges cogitationis et naturam linguae fieri solet, et novas formas novasque leges introducit. Perfectio lexicalis fit novas voces pro novis ideis adsciscendo vel formando, novas significaciones inducendo, antiquas voces vel significaciones abolendo etc.

2. — Consuetudo sermonis multiplex distinguitur.

a) *Universalis et particularis*. Illa est, quam omnes homines, eadem lingua loquentes sequuntur; haec autem illa, quae partantur vel classi nationis propria est. Species consuetudinis loquendi particularis est *lingua artium et religionum propria* (terminologia technica).

b) *Cultior et popularis seu communis*. Illa formas vocabulorum et leges grammaticae accuratius observat; haec, qua plebeji immo etiam cultiores in vita quotidiana utuntur, formas vocum mutilat ac corrumpit, legesque linguae in multis negligit. Posterior

praesertim certis provinciis propria, vocatur *dialectus*. (Dialectus aliquando usum loquendi particularem vel singulas linguas cognatas significat.)

c) *Vigens et obsoleta* dicitur consuetudo loquendi, prout adhuc valet aut jam in desuetudinem abiit. Voces, formae et leges obsoletae *archaismi*, recenter introductae *neologismi* vocantur.

d) *Elegans (classica) et degenerata*. Illa est aetatis, qua res publica, lingua et litterae florent; haec reipublicae ac litterarum ruinam moresque peregrinos comitatur.

e) *Viva aut mortua*, est consuetudo linguae in ore et scientia hominum versantis aut extinctae. Duplex autem est linguarum mors: in vita communi et in schola; lingua enim in vulgari hominum usu mortua in scholis adhuc vitam continuare potest. Ita morti suae vulgari supervixerunt in scholis lingua Hebraica post captivitatem Babyloniam et post Christum, deinde lingua Aramaica medio aevo, lingua Latina in ecclesia catholica et vita populorum Christianorum publica, et aliae etiam linguae antiquae in liturgia et scholis conservatae.

§. 20.

Lex consuetudinis loquendi hermeneutica.

1. — *Propositio. Consuetudo sermonis est fons principalis sensus, ergo omnium prima consulenda*.

Non enim sensus vocum certo aliquo loco percipi potest, antequam significatio vocum in se cognoscatur; significatio autem consuetudine loquendi nititur. Neque, ut patet, tota oratio intelligi potest, nisi prius partes, i. e. singulae voces intelligentur.

Non obstat mutatio linguarum perpetua. Novae enim voces et significaciones, formae et leges non clam et subito irrepunt, nec veteres nisi sensim et in publico obsolescent, ideo novationes vel tam exiguae sunt, ut usum loquendi non mutant, vel si eum revera mutant, et auctori et lectoribus facile innotescunt.

2. — Ex lege consuetudinis loquendi generali sequentes regulae pro praxi deducuntur.

Regula 1. Sensus consuetudini sermonis conveniens verus esse potest; sensus, qui consuetudini loquendi solus congruit, certe verus est. Ratio regulae in promptu est.

Regula 2. Sensus consuetudini loquendi contrarius rejiciendus. Quod enim vox vel phrasis nunquam et nusquam significat,

id neque in casu, de quo quaeritur, significare potest. Inde sequitur.

Regula 3. Non licet contextus gratia consuetudinem loquendi relinquere. Significatio enim prior est, quam contextus, et contextus consuetudini loquendi accommodari, non autem verborum significatio ad contextum fangi debet.

Rom. 8, 10. legitur: *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum νεκρόν est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.* Hoc loco vocem νεκρός sensu mortalis accipere contextui quidem optime congrueret; tamen ista interpretatio, quum consuetudini loquendi sit contraria, rejicienda est, et locus aliter explanandus. — I. Cor. 11, 10. legimus: *Debet mulier potestatem ἐξουσίαν habere supra caput propter angelos.* Quia contextus velamen postulare videtur, multi per ἐξουσίαν revera velamen intelligunt; immo per angelos, sensu plane inaudito, inverecundos mulierum spectatores vel petitores intelligi volunt. (Sensus verisimilis est: mulier signum potestatis viri i. e. velamen habeat, ob angelos sacrificio assistentes.)

Regula 4. Significatio prior, communior et facilior praferenda est posteriori, rariori et difficiliori. Rarissime ergo licet S. Scripturam contra sensum obvium interpretari.

Haec regula imprimis in operibus valet hominum illitteratorum, quales plurimi sacri scriptores fuerunt, qui non solent a consuetudine loquendi trito et simplici ad expressiones et constructiones longe petitas, insolitas, abstractas vel arte factas, quibus ipsi philosophi, oratores vel poetae raro utuntur, discedere.

Si ergo vocabulum una plures habet significaciones, omnium prima ea significatio est accipienda, et quoad possibile, tenenda, quae magis obvia, frequentior et minus subtilis est. Quicunque enim vocem dicens vel audiens hanc primum significacionem cogitat. Ideo significatio vigens anteponenda est obsoleta, primaria secundariae, historica etymologicae, propria translatae, universalis particulari.

Vitandum ergo est quod dicitur *artificium hermeneuticum*, scilicet suppositio significacionis vel constructionis rarioris et subtilioris, aut vero additio, demptio vel mutatio vorum explicationis causa facta.

Regula 5. Vocabulo technico non est significatio vorum originalis, etymologica vel communis attribuenda.

E. g. voces: ἐκκλησία, πρεσβύτερος, εὐαγγελίζω non significant coetum, seniorem, boni nuntiationem, sed regnum Dei in terris, sacerdotem et redemptionis praedicationem. Erant enim jam tempore apostolorum vocabula technica, quamvis nondum constanter usurpata.

Regula 6. Non licet eodem loco duplum ejusdem vocis significacionem sine evidenter rationibus praesumere.

E. gr. Rom. 5, 12. vox ἀμαρτία peccatum significat, ergo etiam versu 13. et 6, 1. sqq. item 7, 14. sqq.; non est igitur vox illa his locis concupiscentia accipienda. E contrario Rom. 7, 22. sq. evidens est voce νόμος modo legem moralem, modo concupiscentiam significari.

Regula 7. Ubi plures sermones commixti sunt, e. g. in stilo Graeco vel Latino hebraizante, cavendum est, ne diversi sermones confundantur vel unus alterve negligatur. Illum ergo interpres ubique sequi, et sensum ex eo repetere debet, quem structura verborum, argumentum orationis, lingua, patria, educatio et vitae conditiones auctoris suadent. Hebraismi ergo e lingua Hebraica non e Graeca sunt intelligendi.

§. 21.

Fontes et subsidia sermonis emortui.

1. — Consuetudo loquendi linguarum viventium ex ore eorum, qui illis utuntur, facile discitur. Id tamen in linguis emortuis fieri nequit; quapropter hic alia via ineunda est. Consuetudo loquendi linguae mortuae est factum historicum; ideo quaestio illa, quaenam cogitationes verbis et constructionibus linguae mortuae respondeant, e testimoniis fide dignis, qui *fontes sermonis* vocantur, dijudicanda est.

Fontes consuetudinis sermonis sunt: lexica et grammaticae, glossae, scholia, versiones et commentarii. *Lexica et grammaticae* sunt uberrimi et optimi sermonis fontes; quid sint, nemo ignorat. *Glossae et scholia* sunt breves annotationes, textum illustrantes. Speciatim glossae olim erant vocabulorum antiquorum vel rariorum explicaciones. Scholia explanant vocabula propter contextum difficilem (et rem ipsam) obscura; ideo imprimis grammaticae syntaxisque leges ostendunt. *Versiones* et significacionem vorum et praecettae grammaticae produnt. Verumtamen non omnes vocis significaciones exhibent, sed unam tantum sensui congruentem, aliquando plane male electam nimiumque vagam. *Commentarii* quum textum ex omni parte explanant, inter alia etiam voces, structuram et stylum orationis dilucidant.

Distinguuntur fontes usus loquendi *immediati* et *mediati*. Fontes immediati sunt linguae adhuc viventis monumenta; ergo libri ea lingua scripti, vel quacumque lingua de ea compositi a viris, qui ea, ut vernacula usi sunt. Fontes mediati sunt illi, qui post

linguae extinctionem vel ea vel de ea sunt scripti, sed tempore, quo traditio scholarum aderat, immo lingua in scholis vel in litteris vivebat. Fontibus mediatis annumerandi sunt etiam libri ab hominibus linguae adhuc viventis gnaris non ea nec de ea conscripti, sed habitu ejus induiti. Ita lingua Graeca S. Pauli hebraismis scatens, fons mediatus est linguae Judaeorum; quum e contrario grammatica Hebraica vel versio librorum Hebraicorum a Hebreo ante captivitatem grecce scripta fons immediatus esset, si exstitisset et exstaret.

2. — Consuetudo linguae mortuae praeter fontes etiam ex aliis *subsidiis* cognoscitur. Hujusmodi subsidia sunt: *dialecti cognatae*, seu comparatio linguarum, *etymologia* seu indagatio originis atque elementorum vocis et *analogia linguae* seu similis significatio formarum similium. Haec subsidia multo minoris momenti sunt, quam fontes; quia significationem non certam, sed tantum possibilem vel probabilem reddunt et haud raro fallunt. Inde sequuntur regulae.

Regula 1. Subsidia deficientibus fontibus vel ad confirmandum horum testimonium adhibenda.

Regula 2. Non licet subsidiis contra testimonium fontium uti.

Dialectorum cognatarum comparatio procul dubio consuetudini sermonis subsidio est, sed sola per se controversias non dirimit et raro significationem efficit certam. Quaelibet enim lingua, quantumvis cognata, proprium habet loquendi usum. Constat eadem vocabula in linguis cognatis saepe diversas habere significationes. E. g. לְחֵם hebraice cibus, imprimis panis, in lingua Arabica *lachm* caro; شَرْب caro, arab. *bašar* pellis; أَمَّا dicere, arab. *amara* praecipere, jubere, أَبْرَأ perire, arab. *abada* durare, perennare. Confer gallic. journée dies et angl. journey iter (diei), germ. Stube et angl. stove (fornax), lat. sentire et ital. sentire (audire), lat. mirari gall. mirer et hisp. mirare (spectare), lat. mittere et gall. mettre (ponere). Non licet ergo consuetudinem loquendi linguarum cognatarum nec lexicalem nec grammaticalem linguis biblicis per vim ingerere.

Minime tamen negamus, dialectorum comparationem nonnunquam magno exegesis usui fuisse. Ita e. g. phrasis *terram comedes* (Gen. 3, 14.) lingua Assyriaca illustratur, ubi terram comedere significat confundi. Similiter locutio: (nec dimittis me) *ut glutiam salivam meam* (Job. 7, 19.) ex lingua Arabica intelligitur, ubi proverbium est et designat brevissimam temporis moram, que deglutitur saliva. — Deinde ros, pluvia, imber, torrens in lingua Arabica beneficiorum copiam et liberalitatem,

odor suavis bonam famam significat. — Vox פָּנָה (Isai. 7, 14.) in linguis cognatis (e. g. Punica) virginem declarat impollutam.

Etymologia est investigatio significationis primigeniae ex radice vel elementis vocis, aut significationis derivativa e similitudine vel conjunctione cum significatione originali. E. g. vox μετανεστα per elementa (μετά trans, οἰκος domus vel οἰκιζω habitare facio) significat deportationem. Significatio vocis ἐπιούσιος (Matth. 6, 11.) ex etymologia haec est: *ad subsistendum necessarius*; et ita versio Vulgata (super-substantiale) corrigitur, suffragante etiam versione loci paralleli Lucae (11, 3.), ubi *quotidianum* legitur.

Aliquando tamen etymologia fallax est, quia significationes historicae saepe contra etymologiam oriuntur. E. g. προφήτης ex etymologia vatem futurorum nuntium significat; revera tamen in usu sermonis non significat nisi oratorem vel concionatorem. Deinde significationes derivatae ejusdem vocis multae sunt, et ideo per etymologiam certo cognosci nequeunt. E. g. leo significatione translata designat potentem, fortem, magnanimum, immo etiam crudelem.

Analogia linguae est similis similium nominatio seu est congruentia significationis alicujus formae cum significatione similium formarum in eadem lingua. E. g. terminatio Graeca μαι, σαι, ται passivum significare solet; ideo eadem significatio etiam in casu singulari jure praesumitur. Haec tamen conjectura certa non est, quia regula illa exceptionibus subjet.

Dialectorum consensus, etymologia manifesta et analogia universalis saepe tantam dignunt probabilitatem, quae a certitudine non multum absit. Ubi autem testimonia consuetudinis loquendi propria desunt, rem decidere, nisi subsidia non possunt. Id fit e. g. quum agitur de voce vel phrasi semel tantum in Bibliis lecto (ἀπαξιλεγόμενον). Si autem consuetudo sermonis ex propriis fontibus satis nota est, nequaquam licet fontes subsidiarios sequi eis repugnantes.

§. 22.

Lingua Sacrae Scripturae.

1. — S. Scriptura tribus linguis emortuis scripta est. Maxima pars *Ant. Testamenti* lingua *Hebraica antiqua*, aliquot libri et quaedam aliorum librorum partes lingua *Chaldaica*, recentiores autem quidam libri (deuterocanonici) *graece* sunt conscripti. Sed nonnulli libri hebraice vel chaldaice scripti tantum in versione

Graeca, sane antiquissima, ad nos pervenerunt. Lingua Novi Testamenti originalis est *Graeca*, excepto evangelio S. Matthaei lingua Aramaica scripto, cuius tamen editio primigenia jam pridem periiit. Multi etiam epistolam ad Hebr. lingua Hebraica scriptam esse contendunt.¹

Linguae ergo Bibliorum primigeniae sunt: *Hebraica, Chaldaica (Aramaica) et Graeca*. Quae linguae minime purae sunt, quin potius soloecismis et locutionibus barbaricis abundant, quod etiam de versionibus antiquis dicere licet.

Ipsa lingua Hebraica biblica contactum ac vim linguae Aegyptiacae et postea Chaldaicae passa est. Lingua Graeca biblica Ant. Test. a puritate et elegantia aetatis florentis valde remota (dialectus Alexandrina) prope innumeris vocibus et constructionibus Hebraicis Chaldaicisque (uno verbo hebraismis) est permixta. His autem in lingua Graeca Novi Testamenti accedunt latinismi, rabbinismi et christianismi. Similis est conditio antiquissimarum versionum. Quum enim interpretes de fidelitate magis, quam de elegantia versionis fuerint solliciti, ne mireris, versiones Scripturae charactere sermonis Hebraici et Graeci hebraizantis ita penetratas esse et colore orientali atque Semitico obductas, ut S. Scriptura sine hebraismorum notitia, nec in ipsis versionibus bene intelligi possit.

Sermo patrius in peregrinum magnam profecto vim habet atque efficaciam. Voces patriae linguae redditu difficiles sermoni peregrino inseruntur, phrases ac propositiones more patrio, structuras consuetas imitando formantur, significaciones tropicae, significationum amplitudo facile et absque consilio in sermonem peregrinum transferuntur. Diuturno studio et exercitio singularique sollertia ac diligentia opus est, ne linguae vernaculae proprietates peregrinae immisceantur; multi plane nunquam structurae linguae alienae perfecte assuescunt. Homines autem illitterati, quales erant complures sacri scriptores, linguae peregrinae puritatem parum curare solent. Non ergo mirari oportet, Graeca scripta virorum natione Judaeorum hebraismis scatere. Alioquin ideae religiosae Judaeorum et Christianorum² vocibus et formis Graecis puris ac optimis vel constructionibus elegantioribus neque exprimi poterant.

¹ Quidam protestantes (Bolten, Bertholdt) epistolas Paulinas omnes lingua Syro-chaldaica scriptas, et ab ipso Paulo vel aliquo discipulo in Graecum translatas esse voluerunt.

² E. g. redemptio, gratia, justitia, salus, virtus, sacramentum, proximus, fides, humilis et iis respondentes voces Graecae apud anticos longe alia quam apud nos significant.

Non est nostrum, grammaticam linguarum biblicarum, quam jure supponimus, hoc loco docere; ideo praemissa naturae linguarum illarum adumbratione, tantum de lingua Hebraica, sensum Bibliorum ac versiones ipsas penetrante, et de linguae Graecae biblicae elementis uberius disputabimus.

2. — *Lingua Hebraica* A. T. non est in omnibus libris aequalis. A tempore, quo primi Ant. Testamenti libri conscripti sunt, usque ad compositionem ultimorum librorum hebraice scriptorum mille amplius anni transierunt. Atqui lingua Hebraica tam diu nequaquam permanxit immutata; quamquam fatendum est, separatam Israelitarum patriam et naturam orientalium vetustatis tenacem novationi minime favisse, et ideo linguam Hebraicam minoribus, quam per tantumdem temporis spatium linguas occidentales ac modernas, mutationibus obnoxiam fuisse.

Tres aetas linguae Hebraicae distinguuntur: aetas aurea ante exilium, quum lingua in vita communi et litteris florebat; aetas degenerantis linguae post exilium usque ad tempora Machabaeorum, quando lingua tantum in scholis et cultu divino vivebat; et aetas novae linguae Hebraicae, a tempore dominationis Romanorum praecipue post reipublicae Judeorum ruinam usque medium aevum. Lingua antiquior vestigia linguae Aegyptiacae, media Chaldaicae (et Graecae), nova Graecae imprimis et Latinae exhibet.

Jam in lingua florentissima praeter nomina propria locorum et personarum (Moph = Memphis, Šišaq) nonnullae voces et phrases *Aegyptiacae* inveniuntur, e. g. פָּרָעָה gramen palustre, יְאֹור fluvius (Nilus), פָּרָעָה pharao, שְׁפַת יְאֹור labium seu ripa fluminis, חֶרְמֵפִי vates Aegypti, אֲגַבְּךָ genuflectite, בְּהַמּוֹת hippocotamus (imitatio vocis Aeg. pehemout). Peculiaria adhuc linguae Moysis Hebraicae verba sunt: עַל puella (pro אַנְדָּרָה), הַיָּאָה vices (pedes) pro רְגִלִּים, הַיָּאָה recentiore, תְּלַחְשָׁה hic (demonstrativum archaicum). Deinde verba irregularia sicut etiam verbum חַנְנָה apud Moysen infinitivum more regularium habent.

Praeterea consonantes in antiqua lingua saepe duriores sunt, in recentiore moliores.

Tempore regum lingua Hebraica per commercium cum Assyriis et postea Babyloniis vim linguae eorum est experta. A tempore autem captivitatis lingua Chaldaica Hebraicam in vita quotidiana coarctavit ac repressit et in scholis barbarismis inficit. Insuper novae voces novaeque significaciones inductae sunt et leges grammaticae atque orthographiae multifariam immutatae.

En aliquot recentioris consuetudinis loquendi exempla.